



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

SSS. Ananias. Azarias. Misael. 16. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

16. Dec. VITÆ SANCTORUM. 787
nam, cùm viribus nullis posset, precibus
erexit, suspensamque in aëre tam diu
servavit, dum spectantibus omnibus
suopre motu in locum suum desidéret.
Atque in hoc templo primas Christo I-
beri aras, pectora sua devoyerunt. Gere
castum cor, & templum Salomonæ
præstantius erexisti. Ex Socrate & Theod.

*Quemadmodum febriçitantes appetitum
& robur amittunt: sic qui principum aulas
frequentant, mentem & bonos mores perde-
re solent, nisi frequenter animorepetant hoc
dictum, Nosce te ipsum. Anton. Mothach.
serm. 59. sententiarum.*

SSS. ANANIAS. AZARIAS. MISAELEM.
16. Decembris.

A Page vetus Roma cùm foculo suo
Scævolam tuum! In fornacem hanc
oculos mitte, & superati à pueris He-
bræis viros tuos specta. Tres erant (A-
NANIAM, AZARIAM, Misaelem dixe-
runt) principes juventutis, interque e-
phebos regis Nabuchodonosoris accensi.
Hic in eâ ætate formæ gratiam & se-
nem in pueris sapientiam amabat; at
Deus amplius quid, virginem animum
& à regie mensæ deliciis abstinentem. I-
ta de adolescentum amore rex magnus
& Max. Deus certarunt. Quid nî hic
vinceret? Fortè statuam posuit Na-
bu-

Ddd 2

788 VITÆ SANCTORUM. 16. Dec.
buchodonosor , auream illam, sed super-
stitione infamem. Facile erat aliis perflua-
dere, ut aurum adorarent , in quo omnis
ætas delirat. Uni ex omnibus hi pueri
sapuerent , disertis verbis dicitantes
regem se, ut par est, veneraturos, ce-
terum D E U M solum adoraturos, & an-
tè morti animam quām statuæ genua-
submissuros. Stabat fornax valdè flam-
mans. In hanc abjiciuntur nobiles ani-
mæ. Inhorruit ad facinus ignis, & vim
à virtute venerabundus repressit; qui-
impetu potius in hostes facto longè plu-
rimos corripuit, & succidaneas victimas
cremavit. Angelus etiam è cælo sub-
missus flamas beato rore temperabat,
kenique aura demulcebat juvenes magnan-
imos. Ergo inter hæc supplicia cantare
etiam placuit, & quò plenior foret mu-
sica, cælum terrasque animare. Iamque
Nabuchodonosor ipse innocentiam
patrono igne sanctam absolvit, mira-
culique toto regno perlitteras præco, di-
vinum honorem rectè homo Numinis
transcripsit. Ex Daniele.

Habentes cor ardens in via Domini, &
inter ignes sæculi divino igne muniti, sicut
illi in camino pueri inter fibilantes impetu
flamas vorabimur & hymnum Domino
inter incendiа refrigerantia, Deo filio con-
tinente, cantabimus. S. Paulin. ep. 29.

S. LA.